

imperiti rectam agendi rationem nesciant, si quis per ipsos sanari debet, fortuito, & quidem vel medicamentorum, vel morbi ratione id evenire necesse est: quod quidem non raro accidit. Primum enim, dum hinc inde cōquisita medicamenta temerè porrigunt, si accidat, ut ea convenientia sint, eorumq; vi & efficacia æger restituatur, Medico illud vel Empeirico sæpe adscribi solet, quod Fortunæ adscribendū erat. De quo Celsus, lib. 3. c. 9. *Quos ratio nō restituit, temeritas adjuvat.* Deinde offeruntur interdum artis medicæ non satis peritis morbi, qui aut sua natura leviores sunt, aut decursu temporis jã tales evaserunt: quorum ablatio (cū etiam citra Medici operam evanescent) non tam Medico imperito, quam Naturæ accepta ferenda est. Cōtra accidere potest, ut Medicus etiam peritus in morbos difficiles, desperatos, & incurabiles incidat: quos cū medicamentorū etiã idoneorum ope tollere non possit, infelix & infortunatus vulgo, nulla tamē sua culpa, nulloq; jare, habetur. Sicut contra Medicus, cui salutare morbi curzndi obtingunt, felix habetur. Et licet iste suo modo felix sit & fortunatus: ex hac tamen

felicitate & fortuna alii, qui periculosis morbis laborant, nihil commodi, quod sperent, habent.

Evenit tamen non raro, ut fortuna ista nonnullis applausum aliquē conciliet: cui facile aliquid accedere potest, quod ad famā quoq; concitandā faciat. Hinc fit, ut raro Medici suis meritis æstimentur; sed opinionibus hac in re inprimis mundus regatur: verumq; est, quod Io. Crato, epist. 184. scribit: *Fit maximus concursus ad illos Medicos, quorum opera ii, qui sapere videntur, (licet interdum egregiè desipiant, & stolidæ credulitatis pœnas dent) utuntur.*

Verum ut hæc coucludamus, nō ad vulgi applausum captandū studia sua dirigit Medicinæ studiosus, sed id ager, ut solidā Medicinæ cognitionē sibi comparet. Quod assequetur, si consilio Hippoc. quod lib. αβ' εὐχρημοσωνης habet, obtemperabit. Δεῖ, inquit, μεταγειν τὴν σοφίην εἰς τὴν ἰατρικὴν, καὶ τὴν ἰατρικὴν εἰς τὴν σοφίην. Ἰατρὸς γὰρ φιλόσοφος ἴσθι. Cætera Deo commendabit, & felicem successum ab eo peret atq; exspectabit. Ille dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus: ILLE humiliat & exaltat.

ILLI SOLI HONOR, GLORIA, ET GRATIARUM ACTIO
SEMPITERNIS SECULORUM SECULIS.

F I N I S.

TABULA